

esserebat , juribus excitatis . Ad extremam quoque Turcarum opem Antonius confugerat , suumque Byzantium hominem miserat , qui Amurathem ad auxilia maritima subministranda (eo enim anno Uluzzalium cum triremibus quinquaginta emiserauit) incitaret ; qua in re Gallus ei orator Byzantii haud parum favebat . Ex iis cum inter Reges diuturna pax interturbari posse videretur , Veneti cum Gregorio agebant , ut sua auctoritate eas suspicionum nubes , quæ paci publicæ officere posse viderentur , discuteret ac depelleret . Ille vero officio minime defuturum pollicebatur , licet minime ob id ad apertum bellum Reges descensuros diceret : Philippo multis implicato curis præsentium rerum mutationem nequaquam conducere : eadem Henricum mente esse , cum in Gallia adhuc civilium disfensionum reliquiae residerent : Belgicum bellum diuturnitate atque assuetudine in naturam versum , lentæ febris in morem , populos depascere : ac si forte aliqua ab Amurathe ad Antonii res fovendas naviglia ac triremes permitterentur , eo pacem publicam violatumiri non arbitrari .

His siebat , ut Gregorius , alio traductis curis , in easdem , quas antea suscepserat , solicitudines relaberetur ; pristinoque animi ardore intermissum Aquilejense negotium resumeret ; cum præcipue Donatus significasset , ipsum literas , quas *Breves* vocant , ad Rempublicam meditari . Qua de re cum agitatum inter Praeconsultores esset , jurisque scientiæ peritorum , atque excellentium hominum perquisitis sententiis ; non alia ratione publica jura defendi posse visum est , quam Campegio ad Principis Patrumque Collegium cum literis accedente , antequam acciperentur , aut perlegerentur , scripto ex Senatus decreto obnuntiaretur : *Patres quidem , uti obsequentissimos Apostolicæ Sedis filios , recitari literas jussuros ; verumtamen si qua in re libero Reipublicæ juri officere aut derogare iis Gregorius velit , nullo pacto Senatum ad sensum præbere ; quidquid perlectum foret , nullum irritumque habiturum .* Pridie kal. julias legatus literas exhibuit : ex antequam recitarentur , Senatus consultum perlectum est . Literarum summa erat : *Aquilejense negotium propter eorum , qui se illi immiscuerant , auctoritatem eo usque Gregorium distulisse , Leonardum Donatum , & Joannem Superantium , alterum ordinarium , alterum extra ordinem oratores audisse ; semperque*

*Gregorii
Pontificis
de Aquile-
jensi nego-
tio ad Se-
natum lire-
ra .*